


A 56500
(9)

~~a. 56480.~~

A 56500(9)-1

A 56500(9)-2



2
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
R E C T O R
LVDOVICVS GODOFREDVS
MOGEN,

DOCTOR, PROFESSOR ET CONSILIARIVS AVLICVS,
DE

TEMPORE, QVO
ACADEMIA MARBURGENSIS
PRIVILEGIA CAESAREA
IMPETRAVERIT,
PAVCA PRAEFATVR,

ET
AD CELEBRANDA ACADEMIAE SOLLEMNIA
PERMVTATIONI
RECTORALIS DIGNITATIS
SACRA

IPSO EPIPHANIAS DIE INSTITVENDA,
OMNIVM ORDINVM PROCERES
LITTERARVM FAVTORES, LITTERATOSQVE QVOSLIBET,
CIVES ITEM ACADEMIAE STVDIOSOS
GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS,
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ET HVMANITATE,
INVITAT.

P. P. IP SO CIRCVMCISIONIS CHRISTI FESTO,
MDCCLXIII.
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

GISSAE,
EX OFFICINA BRAVNIANA.

AGADIANNAE EVDVICIANAE

REGI T. O. R.

LVDVICVS GODOLFEDVS

T. H. M. P. O. R. E. Q. V. O.

ACADEMIA MARBURGENSIS

LIBERARIA

LIBRARIUS

AD ACADEMIAM MARBURGENSEM

REGI GRANTIA

LIBRARIA

LITTERARIA

GRANTIA

LIBRARIA

LIBRARIA

EX OFFICINA



DE
TEMPORE, QVO
VETVS ACADEMIAE MARBURGENSIS
PRIVILEGIA CAESAREA IMPETRAVERIT.

Non dubito, fore plerosque, quibus huius
quaestionis examinatio visa erit superflua,
rem claram esse atque indubitam opinan-
tibus. Historici, etiam *Hassiaci*, adeo *Mar-
burgenses* ipsi, ad unum omnes docent, Academiam
Marburgensem, anno, supra mille & quingentos,
vicesimo septimo, a PHILIPPO *Magnanimo* fun-
datam, anno demum eius seculi quadragesimo pri-
mo, die *Iulii* decimo sexto, ab Imperatore CAROLO
V. priuilegia Caesarea *Ratisbonae* impetrasse. Cur
etiam eam rem in dubium vocabo? quae sole clarior
ab omnibus creditur, nec creditur tantum, sed do-



cumentis quoque scriptisque coetaneis probatur. Exstat ipsum Imperatoris priuilegium apud WINCKELMANNUM, a) LÜNIGIVM, b) aliosque. Exstat praeterea oratio in priuilegiorum ab imperatoria maiestate Academiae Marburgensi impetratorum, promulgatione habita, vicesima Augusti, anno 1541. NICOLAO ASCLEPIO, BARBATO, facultatis artium decano, auctore; item gratiarum actio per REINHARDVM LORICHIVM, HADAMARIVM. c)

Propterea vulgo quidem existimant, illud priuilegium, Ratisbonae die XVI. Iulii MDXXXI. Academiae isti concessum, & die XX. Augusti e. a. Marburgi publicatum, quod apud citatos auctores legi poterit, esse primum & vnicum, quod Musae Marburg-

a) In der *beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld*, Parte IV. Cap. VII. pag. 441.

b) Im *reichs - archiv*, Tom. IX. vel parte speciali, continuatione 2. pag. 773. sqq.

c) Vtraque, oratio & gratiarum actio, exstat in den *Marburgischen beitraegen zur Gelehrsamkeit*, Parte IV. Cap.

IX. pag. 130. seqq. NICOLAVS ASCLEPIVS, a barba opaca *Barbatus* dictus, fuit Philosophiae & Iurium doctor, Logices vero, Ethices & Poëtices Professor, & Paedagogiarcha, natus *Cassellis*, denatus vero Marburgi die XX. Martii MDLXXI. REINHARDVS autem LORICHIVS, a patria *Hadamarius* dictus, professio-



burgenses ab Imperatore impetrassent. *d)* Eiusdem sententiae haecenus egomet fui. At vero cum reperiamus, primum: iam anno MDXXXII. IOANNEM FERRARIUM, MONTANUM, ipsius collegam BALTHASARUM CLAMMERUM renunciaffe iuris vtriusque Licentiatum, *e)* deinde: PHILIPPUM Landgrauium anno MDXXXIII. decreuisse, Imperatorem CAROLUM V. *Bruxellis* tunc commorantem, per

A 3

lega-

fessione oratoriae ab anno MDXXXV. vsque ad annum MDXXXVIII. praefuit, quo, vna cum fratre IOSEPHO LORICHIO, qui Historias tradiderat, discessit, factus ecclesiastes ad *Rhenum*. Videatur AYRMANNI Libellus Posthumus *de peregrinis in Hassia professoribus*, pag. 10. & HARTMANNI *historia Hassiaca*, Parte I. pag. 365.


d) WINCKELMANN, citato loco, pag. 440. Libellus perbreuis *von der Stiftung und den Schicksalen der Unversitaet zu Marburg*, §. I. qui primum locum obtinet in iam citatis *Marbur-*

gischen Beiträgen &c. Parte I. pag. 1. sqq.

Celeberrimus historiarum provincialium scriptor, DN. IOANNES PAVLVS REINHARD, *im Entwurf einer historie des hochfürstlichen hauses Hessen*, Parte IV. §. 20. pag. 53.

Sed beatus HARTMANNVS, in *historia hassiaca*, silet de privilegiis *Almae Marburgicae* Caesareis, cum pag. 256. Partis I. tum pag. 299. seqq. & pag. 361. seqq. vbi tamen loca atque occasio fuissent, de iis loquendi.

e) *Marburgische Beiträge*, Parte II. Cap. XXVII. pag. 414. §. In diesem 1532ten.



legationem rogare, vt *maiora* Academiae concedere velit priuilegia, *f)* porro: anno eodem *Marburgi* primam celebratam esse Magistrorum & Baccalaureorum promotionem, *g)* amplius: eodem adhuc anno IOHANNEM RVDELIVM, Caesareorum Papaliumque iurium doctorem, ipsius collegam, modo nominatum IOANNEM FERRARIYM, Licentiatum, creasse doctorem; *h)* denique: eodem semper anno SS. Th. Docto-

f) Modo citatae *collationes Marburgenses*, pag. citata, §. Ward bei hofe &c. &c.

g) Eodem libro & loco, §. Ist zum ersten mahle &c. &c.

h) Eodem libro & loco, §. In diesem jahre &c. &c. Vid. quoque HARTMANNI *historia Hassiaca*, Parte I. Cap. XIII. pag. 362. IOANNES EISERMANN, dictus FERRARIYS, a patria vero *Amoenoburgo* MONTANVS, & cum *Wittenbergae* degeret, M. IOANNES HESSVS, in tribus Facultatibus gradum quendam capessivit. Primum enim, postquam *Wit-*

tenbergae animum ad SS. Theologiae studium appulisset, pro Baccalaureatu in Theologia Magister artium respondit. Deinde artem ibidem studuit medicam, & Medicinae Licentiatu publice renunciatus est. Denique *Marburgi* in ordinem senatorium accitus, suopse *Marte* in studio Iuridico eo usque versatus est, vt ex curia urbis ad Principis dicasterium translatus sit. Postremo iurium Licentiatu, eorumque primus in Academia *Marburgensi* Professor, ac denique etiam Doctoratus insignia primus in hac noua



Doctorem TILEMANNVM SCHNABELIVM, qui non professor *Marburgensis*, sed *Aisfeldiae* primus Superintendens fuit, (quia tunc *Facultas Marburgensis* Theologica nullum habuit creatum doctorem) *Marburgum* accersitum, in *Facultate Theologica* promotiones varias effecisse: i) suspicatus pridem sum, iam tum prius quoddam *Caesareum* priuilegium, & forte restrictum tantum ad promotiones in *Facultate Philosophica & Iuridica*, impetratum fuisse. *Gymnasia* enim non gaudent facultate conferendi gradus *Baccalaureorum, Licentiatorum, Magistrorum & Doctorum*, nisi ea ab ipso *Imperatore* priuilegio speciali concessa sit.

Postea in ABRAHAMII SAVRII *Thesauro paruo urbium*, anno MDXCV, edito, pagina 158. haec expressis

noua *Hassorum* Academia accepit. Eiusdem Academiae fuit etiam primus Rector, primusque Vice-Cancellarius. Anno MDLVIII. die XXV. Junii vita excessit. Vid. MELCHIORIS ADAMI *Vitae Germanorum Iureconsultorum & Politicorum*, pag. 54. sqq. HARTMANNI *historia Hassiaca*, Parte I. Cap. XIII. §. CLXX. pag. 361. sqq. AYR-

MANNI *Libellus de peregrinis in Hassia Professoribus*. pag. II.

i) WINCKELMANN, cit. loco, pag. 441. & CONRADI BACHMANNI verba ligata, a WINCKELMANNO allata. Item plus semel citati *Annales Academiae Marburgensis* §. Zun theologischen &c.



pressis verbis relata legi : *Vniuersitatem sigilla sua, & potestatem conferendi studiorum insignia, ab Imperatore CAROLO V. Bruxellis anno MDXXXI. impetrasse.* Ab initio, cum haecce legerem, cogitavi, anni numerum mendo fortassis laborare, & pro *tricesimo* numero legendum esse *quadagesimum*. Sed quid proficimus eo supposito? Nihil. Nam *Ratisbonae* pro *Bruxellis* legi plane nequit, nisi ex typographo, cui errorem imputare volumus, faciamus falsarium. Ipsimet ABRAHAMO SAUR, testi quippe coaetuo & oculato, omnique exceptione maiori, nullus hac in re imputandus est error. Conuenit etiam eius relatio cum *excerptis ex annalibus Academiae Marburgensis* manuscriptis, quae in *collationibus Marburgensibus*, in notis a me subtextis saepe citatis, euulgata sunt, ubi pag. 414. legitur: *A. 1533. Ward bei hofe beliebt, den Kaiser Carl V, so in Brüssel sich aufhielte, um groesere priuilegien, durch eine Gesandtschaft zu bitten.*

Ad sigilla quod attinet, non obstant, quae IOANNES HARTMANNVS KORNMANN, in *hypotyposi paliorum Academiae Marburgensis*, pag. 72. refert, *sigillum & sceptrum* iam anno MDXXX. a Landgrauio Academiae esse concessa. Nam primum in anno errauit KORNMANNVS, ad minimum quoad sceptrum, de quibus *excerpta* modo citata, pag. 413. referunt,


Aca-



Academiam *Marburgensem*, anno, supra mille & quingentos, tricesimo, vt ipsi concedantur sceptrā & sigilla, a Landgrauio *petiisse*, sed demum (pag. 414.) anno eius seculi tricesimo *tertio* duo sceptrā *accepisse*; deinde potest concedi KORNMANNO, sigilla iam anno MDXXX. vel etiam prius, a Landgrauio esse concessa. Sane sigillum istud Academiae, effigie PHILIPPI *Magnanimi* insigne, cum anno 1517. & hac inscriptione:

Philippo Hess. Dom. de pietate & liter. optime merito ausp.


hodiernum *Ziegenhainae* in Archiuo principali asseruatur. Verum ex hisce concessis & probatis neuti- quam infirmatur mea sententia. Quamuis enim PHILIPPVS Landgravius, pro ea, qua tum pollebat in *Germania*, potentia & auctoritate, haud vereretur, ausu proprio nouam fundare & priuilegiis, sceptris atque *sigillis* ornare academiam siue vniuersitatem, (quales hodie Gymnasia potius appellamus academica) ipse tamen, vt gradus actusque academici omnes per totum Imperium *Romano - Germanicum* a quouis agnoscerentur, vtile, decorum & necesse fore sperauit agnouitque, si a Caesarea quoque maiestate foundationis, priuilegiorum, *sigillorum* & sceptrorum confirmatio impetraretur.




Quin imo occurrit mihi postremo GERARDI GELDENHAVRII, Professoris *Marb.* Theologiae celeberrimi, k) *historia Batauica & epistola de officiis principis Christiani, Marburgi MDXXXVIII.* in 8. excusa, vbi, versus finem, datum epistolae sic exprimitur: *In academia Marburgica, quae praeclarae Vienneſis Academiae libertatibus, priuilegiis & immunitatibus a Caesarea Regiaque maiestate his annis exornata est.* Et cum Geldenhaurius quoque initio anni MDXXXII. vita exceſſerit, ambiguum prorsus eſſe nequit, prius quoddam priuilegium Caesareum, a SAVRIO quoque commemoratum, extitisse, quod anno MDXXXI. per alterum amplius splendidiusque, ac hodiernum superstes, sublatum fuerit.

Equidem obſtare videtur ipſum Imperatoris priuilegium, *Ratisbonae d. XVI. Iulii MDXXXI. Marburgensibus* Muſis conceſſum, quippe quod antiquioris cuiusdam priuilegii nec explicite nec implicite vllam facit mentionem. Itidem videtur obſtare oratio, in ſuperioribus citata, in qua ASCLEPIVS inter alia eloquitur, *gaudemus profecto & beatos nos praedicamus*

k) Vitam GELDENHAVRII, qui a patria *Noviomagorum iureconſultorum, poetarum, medicorum & philoſophorum*, vocabatur, ſcripſit MELCHIOR ADAM, in *vitis theol.* Parte I. pag. 43. ſq.




camus, id tandem nobis contigisse, quod in decimum quintum annum desiderauimus. Eandem rem adhuc clarius repetit LORICHIVS, in gratiarum actione, supra quoque allegata. Postremo, inquit, quantum aestuauerit in magnanimo pectore desiderium, gymnasii nostri Marburgensis, iura confirmandi, quantusque flagrauerit ardor, quo iam pridem a Caesarea maiestate, contra hostium nostrorum spem atque vota, nobis ista iam promulgata, gloriosa priuilegia, christianissimum huius emporii literarii nobilioris institutum confirmantia gratiose impetrauit. Haec igitur videntur obstare. Sed videntur tantummodo, vere non obstant, si, quod possumus, rem ita se habere, credere volumus. PHILIPPVS, Landgravius, inde a fundatione vniuersitatis ab Imperatore CAROLO V. maximopere petiit, vt gymnasio huic academica gratiose concedere vellet priuilegia. Verum enim vero quoniam Landgravius religionis euangelicae strenuus erat vindex, illiusque promouendae causa gymnasium istud potissimum condiderat & cum quatuor Facultatibus instruxerat, CAROLVS V. a Pontificiis forte instigatus ex odio euangelicae religionis praesertim in eius theologos, abnuebat confirmationem petitam atque priuilegiorum concessionem, ne nimirum Facultas Theologica, Caesarea nunc auctoritate, dogmata sua docere posset. Cum vero Landgravius petito non desisteret, Imperator haud dubie, non qui-



dem priuilegia *academica*, attamen, vt iustum Landgrauii desiderium ad minimum ad tempus leniret, priuilegium quoddam, ad promotiones tantum in Facultate Philosophica & Iuridica, forte etiam in Medica, *restrictum*, concessit, *Bruxellis* anno MDXXXI. datum. Sed inde ab anno MDXXXIII. *maiora* petiit priuilegia plane academica Landgravius per expressam legationem ad Imperatorem *Bruxellas* missam. CAROLVS V. tandem exoratus perfecta *academica* priuilegia, petitamque academiae confirmationem, anno MDXXXI, die XVI. Iulii *Ratisbonae* impetravit.

Ita aut res se habet, aut omnis fides historica fallit. Concordat etiam plane mea haec opinio cum *collationibus Marburgensibus* supra excerptis. Referunt enim, Landgraviium *maiora*, (*gröfere*) a CAROLO V. petere voluisse priuilegia. Comparatiue id dictum est, quod supponit, *quaedam* scilicet *minora* siue pauciora priuilegia Caesarea iam ante annum MDXXXIII. fuisse impetrata; *maiora* vero adhuc impetranda. Sunt *quaedam* adhuc, quae ad firmandam hancce sententiam, ex oratione ASCLEPII, plus semel citata, & ex LORICII gratiarum actione, adferri poterunt; quae tamen, quod profiteor, non stringentia, bene tamen adminiculantia, sistunt argumenta. *Est & hoc insignis scholae nostrae sempiternum*



num decus, inquit ille, l) quod in tantillo temporis, quantum vix ad perdiscendas artes liberales sufficit, nempe quatuordecim annorum, maximis & scolis & urbibus dederit earundem DOCTORES laudatissimos. Hic autem ait: deinde Caesareae maiestati, cuius clementia nostrae academiae vitam, quam nobis & aperti & clandestini hostes nonnulli conati sunt vel impedire vel EXTINGVERE, non solum CONSERVARIT incolumem, sed etiam PRAECLARISSIMIS priuilegiis corroboratam STABILIVIT, atque CONFIRMAVIT inexpugnabili munimento circumvallatam. m)

Tempus, quod ad scribendum hoc programma mihi concessum est, haud permittit, ut plura edita atque inedita euoluam. Cum vero praesens argumentum, ut id fiat, omnino dignum sit, vehementer opto, ut alii, subsidiis huc pertinentibus me instructiores, rem diligentius perpenderent. Si enim certiora quis in medium afferre potuerit, haud dubie plurimos, qui *prius* istud priuilegium plane ignorarunt adhuc, obstrictissimos sibi reddet.

* * *

Haec, data occasione, ad eruendam veritatem, in subsidium historiae *Hassiacae*, speciatim Academiae

B 3


miae

l) Citato loco, pag. 148.

m) Cit. loco, pag. 157. seq.



miae *Marburgensis* veteris, quae addicta erat Augu-
 stanae Confessione inuariatae, & quae mater fuit &
 Academiae *Gissenaë*; & *Marburgensis* nouae siue restau-
 ratae, quae variatae Confessione est addicta, prae-
 fari libuit, dum significanda mihi sunt celebranda
 Academiae sollemnia, permutationi Reſtoralis digni-
 tatis sacra. Ex statutorum enim nostrorum prae-
 scripto annuus est Academiae magistratus, & per-
 mutatio Reſtoralis fieri debet ipsis *Ianuarii* Calendis.
 Quod si vero eae vel in diem Saturni vel in Domini-
 cam incidant, differtur ea (non quidem per legem,
 attamen per vetustam obseruantiam) in festum Epi-
 phanias diem. Post meridiem hora prima a Profes-
 soribus ordinariis eligitur nouus Reſtor, clausis
 foribus, in conclauis, quod *Consistoriale* vocamus.
 Hoc autem facto vniuersus Academiae Senatus in au-
 ditorium sollemne se confert, vt ritus renunciationis
publice peragatur. Sistetur ibi ex cathedra superiori
 totique corpori Academico commendatur nouus Re-
 ſtor, ab Antecessore suo, orationem habente. Tra-
 duntur ei insignia magistratus Academici, scepra,
 libri legum, matricula, figilla, clauis consistorii,
 aerarii & carceris, & inter tradendum de singulis in-
 signibus breuis declaratio additur, ipsique studiosi
 ad praestandam nouo Magistratui obedientiam, sedu-
 la adhortatione incitantur. Renunciatus ita nouus
 Reſtor, orationem similiter habens, munusque Re-
 ſtora-




Storale suscipiens, omne suum studium & fidem, in
tuendis iuribus Academiae & exequendis legibus, vi-
cissim promittit, pro Serenissimi Landgrauii, indulgen-
tissimi Nutricii nostri salute & faustitate, pro Serenis-
simi Principis haereditarii, totiusque Domus Celsis-
sima *Hasso-Darmstadinae*, fortuna & conseruatione,
pro Perillustrium Academiae Curatorum prosperitate
& incolumitate, pro patriae totius felicitate & beati-
tutine & denique pro Academiae flore & incremento,
pia ardentissimaque vota persoluit, tandemque facit
dicendi finem.

Hunc igitur actum, vt Omnium Ordinum &
Dignitatum Litterati, literarumque Fautores, Ci-
uesque Academiae Generosissimi & Nobilissimi,
praesentia sua illustriorem reddere & condecorare
velint, atque benignis animis beneuolisque auribus
adesse non grauentur, qua possum erga quemuis,
obseruantia & humanitate rogo.

P.P. Gießae, ipsis Ianuarii Calendis, anno
MDCCLXIII. Sub sigillo Academiae maiori.

P. S.





P. S. Ad Commilitones.

Studium *historiae iuris* neque satis est laudandum, neque
 satis commendandum. Nihilominus per aliquot
 annos non a me (catalogi lectionum testes sunt) sed a Vo-
 bis, Commilitones Suauissimi, prorsus neglectum est.
 Qui semper id negligere volent, semper erunt hospites non
 tantum in *Corporibus iurium*, civilis, canonici, feudalis,
 germanici, publici, ita, ut multi ne leges quidem euoluere
 queant, sed in ipsa quoque iurisprudencia. Qui enim,
 sine vlla cognitione *historiae iuris*, in hoc discendo sua in-
 tenderunt ingenia, suo dispendio serius experti sunt da-
 mnnum, quod e neglecta *iuris historia* acceperunt. Fugite
 igitur, o Mei! damnnum infectum. Offero Vobis denuo
 collegium in B. KOPPII libellum, quo *historiam iuris vni-*
uersi, romani videlicet, canonici, feudalis Longobardici,
 feudalis Germanici, Germanici priuati & Germanici publi-
 ci, maximo cum applausu proposuit. Inchoabo id, quam-
 uis auditorum numerus non magnus fuerit, die *Ianuarii*
 nono, qui est primus post *Epiphaniae* festum fastus. Tanta
 diligentia (bono cum Deo) atque pertinacia continuabo,
 ut, nulla temporis angustiae ratione habita, futuro *Pascha-*
tos festo totum utriusque absolui possit collegium. Quod
 si vna per diem hora non sufficiet, duas labori impendam,
 quam quasue cum iis, qui nomina sua profidebun-
 tur, constituam.



que
quot
Vo-
est.
s non
dalis,
luere
nim,
ua in-
t da-
ugite
tenuo
s vni-
rdici,
publi-
quam-
nuarii
Tanta
uabo,
Pascha-
Quod
ndam,
n-





Colour & Grey Control Chart

Danes Picta



Sacrosancta esse, & tanquam diuinum quid conseruanda, Academiarum ciuitatumque *Statuta*, nemo mortalium, qui ea de re iudicare potest, ibit inficias. Stabiliuerunt confirmaueruntque hanc veritatem, secula iam ante multa, viri quidam summi. Sic, quod exempli solum causa adducam, *salutem ciuitatis in legibus sitam esse*, dicit ARISTOTELES. Eiusdem sententiae est SOPHOCLES. *Nihil est, inquit, ciuitati praestantius, quam leges, recte positae. Nam & inferioris hominis sortis, & qui ditior est, aequale ius experiuntur.* Quae-

